

sis Decembris 1521, regnorumque nostrorum, videlicet electionis Saeculi Imperii anno tertio, aliorum vero omnium sexto.

CAROLUS.

De mandato Caesaris — G. Argilensis.
Registrata, Ph. Nicola.

255

Die Jovis nona Januarii 1522.

Romae, in palatio apostolico et in conclavi, hora circiter XX et post scrutinium ac electione facta, reverendissimi domini Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, in generali eorum congregatiōne in loco solito conclavis habita, volentes, ut moris est, destinare ad reverendissimum cardinalem Dordulensem Pontificem electum et in Hispania commorantem duos Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, unum videlicet præsbyterum et alterum diaconum sedis Apostolice et sacri Collegii de latere Legatos ad intimandum ei electionem, ejus acceptationem ac consensum recipiendum, et alias cum instructionibus eisdem duobus Legatis per sacram Collegium dandis, posuerunt in partitum et vota seu suffragia ipsorum reverendissimorum cardinalium per fabas albas et nigras omnes infrascriptos cardinales, hoc est tres ex præsbyteris et decem ex diaconibus, diffiniendo quod unus ex præsbyteris et alter ex diaconibus qui habuerint plures fabas albas quam alii, censeantur Legati, et debeant hoc iter et provintiam suscipere, et sic quod fabae albae affirment et mittant pro Legatis, nigrae vero negent et non mittant. Nomina autem ipsorum reverendissimorum cardinalium notatorum seu in suffragium missorum sunt haec, videlicet.

Præsbyteri.

Reverendissimus de Columna.
Reverendissimus Campegius.
Reverendissimus de Vich.

Diaconi.

Reverendissimus Cornelius.
Reverendissimus Cibo.
Reverendissimus Ursinus.

Reverendissimus de Cessis.
Reverendissimus de Cesarinis.
Reverendissimus de Salviatis.
Reverendissimus de Redulphis.
Reverendissimus Rangonus.
Reverendissimus Trivultius.
Reverendissimus Pisanus.

Et sic tunc ego Blosius secretarius ad mandatum omnium reverendissimorum assignavi, eisdem reverendissimis cardinalibus ordine sedentibus unicuique fabas albas et nigras, ad dandum votum seu suffragium. Et primo votatus est, seu ballotatus, et 255 in suffragium missus reverendissimus de Columna, et postea successive omnes et singuli supradicti tres præsbyteri ipso domino de Columna computato, et X diaconi cardinales, eunte me et recipiente in meo bireto fabas et suffragia ipsorum reverendissimorum cardinalium, incipiendo a primo episcopo, hoc est reverendissimo episcopo Ostiensi cardinali Sanctae Crucis decano, et proseguendo usque ad ultimum, videlicet reverendissimum dominum Pisanum diaconum, ita quod quando aliquis ex supradictis mittendis votabatur, ipse qui votabatur non daret fabam seu suffragium, unde semper fuerunt in birrete fabae triginta sex, videlicet 36, cum in congregatione essent cardinales triginta septem, excepto quod quando fuit votatus reverendissimus Cibo, qui erat absens a congregatione et in sua cella conclavis propter aegritudinem, tunc fuerunt in birreto triginta septem fabae, et quot erat in congregatione cardinales praesentes, quia omnes dederunt suffragium. Et postea quam receperam suffragia et fabas ab omnibus cardinalibus super singulis cardinalibus supradictis mittendis, qui vocabantur, tunc portabam birretum ad scabellum in medio omnium positum, consurgentibus et numerantibus fabas et suffragia reverendissimo Antonio cardinali de Monte episcopo Albanensi, Christoforo cardinali de Araceli præsbytero, et Francisco cardinali Pisani diacono, excepto quod idem reverendissimus Pisanus in sua ballotatione ad numerandum non venit. Ita quod, facta numeratione omnium fabarum super singulis cardinalibus predictis mittendis,

— Reverendissimus de Columna habuit 24 albas et 12 nigras.

Reverendissimus Campegius habuit 17 albas et 19 nigras.

Reverendissimus de Vich habuit 10 albas et 25 nigras.